



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ Præcones

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 15. Ignem quoq[ue] & incendia parcere innocentibus, in viduæ simplicis exemplo, ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

recognoscens. Hæc mihi idem Richuvinus, ore suo, confessus est. Quàm sæpe nunc, prædones dicam, an milites, viatorem inuadunt; spoliant, neque equo duntaxat, sed omnibus, quæ secū defert, priuant? immo vitā ipsam emere cogunt, vt omnia simul eripiant? Et deest fulmen? & non tonat? nec cœlū murmurat? murmurabit aliquando, tantò truculentiùs, quantò mitiùs nunc gladium in vagina continet, vt & patientiæ alij, & pœnitentiæ, prædones tempus habeant. Non defunt illi arma, nec deest caussa, cui militat æther, cui in conspectu sunt humana scelera; sed suâ patientiâ, patientiam nostram erudit. Quanquam, si vult plectere, aut si vult suos defendere, non opus est illi, ignem de cœlo vocare; etiâ in terris ignem habet, qui illi, qui seruis illius famulatur.

§. XV.

Ignem quoq; & incendia parcere innocentibus, in vidua simplicis exemplo, ostenditur.

In Episcopatu Coloniensi, oppido imperiali, quod Donsburg dicitur, vidua quædam ceruissiam braxare ac vendere solebat. Die quadã, cùm ciuitas casu fuisset incensa, ipsumq; incendium domui eius appropinquasset, illa, iam non habens spem in auxilia humano, ad diuinum confugit.

Nam

Ibid. capi

31.

Nam omnia sua vasa, quibus ceruisiam emptoribus mensurare solebat, ad ostiū domus, contra flammās ponens, in multā cordis sui simplicitate, sic orauit, dicens. Dominus Deus justus & misericors, si vnquā aliquem hominem his mensuris decepi, volo, ut domus hæc comburatur, si autem feci, quod rectum est in oculis tuis, precor justitiam tuam, ut, in hac hora, misericorditer respicias necessitatem meam, & mihi, meaq; suppellectili parcere digneris. Mira fides fœmina, mira Dei humilitas: is, qui dixit, quā mensura mensi fueritis, remetietur vobis, ac si oratione fidelis vidua conclusus fuisset, flammās omnia in circuitu deuorantes, à domo eius conpescuit, cunctis stupentibus, quòd ignis furens materiā cremabilem lamberet, nec incenderet. Quid erat hoc aliud, quàm justissimę fœminæ æquitatē, flammis illustrare? quàm multi alij caupones, aut mercatores, si sua vasa, vel mensuras, ad eundem modum, incendio opponerent, lustrarentur, non illustrarentur? Allicerent enim, non arcerent, illorum vasa ignem, qui illis injuriarū dicam ab hospitiibus & emptoribus scriptam, perspicuè manifestaret. Nouit enim, & ignis causas decidere, Deo iubente. Ita in manu illius est omnis creatura: sæuit, vel parcit, ad nutum

Con-

Conditoris. Nec, si secum argumentis putet, meliùs eam vllus subditiuus Dædalus condere potuisset. Apparet ergo, tonitrua & fulmina, & ignes, & incendia, non naturæ tantùm, neque tentatoris duntaxat Stygij, sed etiam DEI esse, & aliquando quidem defendentis, sæpe tamen etiam terrentis, aut punientis instrumenta.

C A P V T I V.

Æquitas bonitasq; diuina, in tempestatibus, & mundi elementis, Pharaoni, Alphonso X. alijsq; luculentè ostensa.

§. I.

Ignis è terra erumpentis, & fulminum vera causa fabulosa opposita.

Gigantes olim, cùm Iouem vellent Virg. in
cælo pellere, finguntur à Poëtis Ætna.
fulminum iactu deturbati. Nimirum vt vel fictum DEVM docerent, in picturis ac statuis, meritò exprimi, rubente dextera fulmen vibrantem, sumpta occasione, ex turri *Babel*, montes montibus impositos cecinerunt. Vtque vel in mortuis vindictæ Gen. 11.
esset monumentum, scripserunt, Typhoeum
sepul-